



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Walericus Ab. 1. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. WALERICUS A.B. I. April.

I Maginem Davidis in W A L E R I C O agnosces: nam & hic puer pastoritiam exercuit, & oris testudine totum Psalterium canere nullo didicit magistro, dignus & ipse, qui è caulkā in aulam, vel aulā dignius Cænobium assumetur, ubi nullam Saulis lanceam timebat. Tantum apud Deum potuit, ut plantaria colenti nulla unquam eruca sata & brassicas laderet; neque vermiculos solum, sed aves etiam ita obsequentes habuit, ut ex manu ejus pranderent cœnarentque. Rigente brumâ ædes Sacerdotis foco fovendus subierat, quem aliis, quam vellet, calere ignibus sensit. Sacerdos enim & loci Præfectus unatum fortè prandentes, Venerem prætextatis verbis nominare ausi, cor WALERICI dolore exussere. Abcunte Divo, mox Dei vindicta subiit: Sacerdos oculis captus est, Præfectus lentâ fœdâque morte contabuit, longas ambo linguæ lascivæ poenas daturi. Èa sub arbore tumulari denique W A L E R I C U S voluit, sub quâ Deo supplicare viyus consuēset, ratus bene ibi corpus quiescere, ubi bene vixisset. Et verò cubare se molliter manifeste ostendit; ne in Aram quidem à sancto Bernardo inquitatus migrare sustinuit. Ex Surio.

Eacce.

S. FRANC. DE PA

2. April. VITÆ SANCTORUM. 213

Facebat ab ore Militis Christi omnis vanorumoris ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni, imo summi Verbi rubet sanguine, deditur otiosi sermonis se se faciebus inquinare. S. P. Damian. l. 6. Ep. 26.

S. FRANCISCUS DE PAULA.

2. Aprilis.

FRANCISCUS DE PAULA decimo tertio ætatis anno, à parentibus ex voto sancto Francisco consecratus, monente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculam sacram molientem sanctus Franciscus monuit, ut angustiis illis prolati, ampliorem faceret: impensas causantem fidere Deo jussit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioso magnam vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo inscripta, ejus tessera futura & Ordinis insigne. Ea flamma cùm totum hominem corripuisse, nihil mirum est, ardentes deinde titiones impunè tractasse, subiisse caminos, cibos quin adeò absque foco solâ Charitatis flammâ percoxisse: sed animos hominum eodem incendio ambussit, & extremis odiis dissidentes non alio ferrumine colligavit, artificiosus in miracula sancti Amoris.

O 3

Ut